DE PRAECIPUIS

MORIBUS ET USIBUS

SEPTEM-COMMUNIUM

POEMATIUM

STEPHANI AGOSTINI

ANGELO FUSINATO

CONCORDIENSI EPISCOPO

DICATUM

PATAVII

TYPIS SEMINARII

1851

Illustriss.me ac Reverendiss.me Antistes

Poematium tuo nomini dicatum, quod nobis Auctor edendum permisit, Tibi sistimus solemni hac die, qua cum maxima omnium laetitia et gratulatione ad episcopalem eveheris dignitatem. Id libentissime nos facere profitemur tribus praesertim de causis. Primum, quod opusculum ad levandas dumtaxat curas lucubratum praecipuos patriae nostrae usus ac mores pereleganter describit; deinde, quod Auctor et Tibi amicissimus est, et nobis cum tribulis, tum etiam studiorum

Praefectus; tandem, quod peculiare aliquod grati animi signum exhibere Tibi possumus, qui nos paterno amore nuper complexus es sapientissimus hujusce Seminarii Rector, ubi et alumnus et professor pulcherrimis antea virtutibus praecellueras. Te itaque obsequentes devotique efflagitamus, ut hocce filiorum munusculum humaniter accipias, nosque summo Tui abeuntis desiderio afflictos etiam absens benevolentia prosequare.

Ex Seminario Patavino
XIV Cal. Mart. An. MDCCCLI.

Alumni et Discipuli
A Septem-Communibus

Cogit amor patriae montanam dicere gentem,
Et studia, et mores. Tenui non absona plectro,
Et quae multigenis soletur pectora scenis,
Res delecta mihi. Fido patienter amico
Adsis, Euganei decus o praelustre Senatus,
Hujus honor sedis, natalis gloria terrae,
Quem clarum meritis et sacrae munere mitrae
Obsequiosa suum venerat Concordia patrem.
Mecum ne renuas inopes excurrere vicos,
Errantesque videre greges, et rustica tecta.
Reliquias Marii, vulgus miserabile, Cimbros
In nemorum tutas fama est fugisse latebras,
Et vicetinis nactos in montibus undam
Diversas posuisse domos. Sibi miles eandem (1)
Teutonicus legit pactam post saecula sedem,
Juraque septeno statuens communia pago
Incola cum natis, uxoribus, et patriis diis
Venatu victum, atque herbis, et lacte parabat.
Nunc quoque par vultus color, et ferus ardor in armis.

Mixtoque ora sono, et priscarum nomina rerum
Germana signant deductam ab origine stirpem.
Haec loca visendi cupidum non cara morantur
Blandimenta gulae, non structae sumptibus aedes,
Nec procul invectae merces, aut galla supellex.
Talibus omnivolae studeant vitiosius urbes
Luxuriare bonis. Modico mea natio victu,
Atque opibus contenta suis assuesse labori,
Ac totum gaudet membra exercere per annum.

Diffugere nives, et noctu dicta quotannis
Carmina damnosam tandem decedere brumam,
Et zephyros spirare canunt. Jam pulsa per altos
Aera strepunt montes, et circum laeta juventus
E foeno et stipula crepitantem transilit ignem.
Protinus ad pastum teneros cum matribus agnos,
Fecundasque boves invitant prata, nemusque,
Et liquidi fontes. Animis tum blanda voluptas,
Corporibusque redit vigor, et solertia vitae.
Quale examen apum vernis praegestit in horis
Pars aptare favos, parilesque intexere cellas;
Pars teneros flores per apricum quaerere campum,
Divitiasque novas: resonant alvearia bombo,
Persimilemque venus disseminat ignea prolem.
Haud minor in nostris ardor. Jam surgere tecta,
Munirique viae; jam versa pararier arva,
Et sua dispositis committi semina glebis.
Salve, montanis optatior esca palatis,

Terrigenum pomum. Nam quo te nomine dicam?
Quo species, fructusque tuos, gratumque saporem
Aequiparem cantu? Sectis ubi tubera membris
Hac illac subduntur humo, nutritaque stirpes
Altius immittunt, toto densissima campo
Silva viret, mixtumque refert in vertice florem.
At pars tecta solo, radicibus undique jactis,
Innumeros, ceu poma, globos progignit et auctat,
Donec maturos variis accommodat escis
Paupertas, adhibetque suis opulentia mensis.
Haec dum festinant opera, et spes alma renidet
Frugis et armenti, caelestem rite favorem
Poscere Religio, precibusque avertere damna
Lactatur. Frutices, et apertis pascua pratis
Circuitu longo, et colles lustrare propinquos
Monticolas lux festa vocat (2). Sub lumina solis
Ad celsum bino proceditur agmine clivum,
Alternoque choro vota in communia Divos
Femina virque vocant: niveo praesignis amictu
Femina pone subit, vario vir praevius adstat
Spectandus sago, donec coeuntibus una
Grata mora est, dulcisque cibus. Vix grande minister
Explevit sacrum, tenera discumbitur herba,
Consuliturque fami. Viridi tum picta colore
Ova verecundae pueris dant sponte puellae,
Quos sibi signat amor, paribus mox mutua curis
Dona recepturae cum multis crustula ofellis,

Fasciculos florum, et mixti pocilla liquoris.
Sic pia corda parat sancto conjungere nodo
Religionis opus. Nam cum depellit Aprilem
Excipiens Majum medio nox candida cursu,
Eligitur furtim toto pulcherrima luco,
Luxuriosa comis, aptisque arbuscula ramis,
Quae referens serta, atque inscriptum in cortice nomen
Ante fores carae, donum praedulce, puellae
Plantatur, fidique capit terna oscula labri.
Quis valet innuptae curas describere turbae
Spemque metumque inter, seu spectet munus amantis,
Sive relicta gemat? Rimosis quaeque fenestris
Haeret, et arrectam catulis latrantibus aurem
Intendens acuit cupidos ardenter ocellos.
Sed jam legitimis tandem sors prospera votis,
Et Deus arrisit: taedae, thalamique parantur.
Aspicis? Ecce pari virgo sociata marito
Approperat roseis frontem redimita corollis,
Quam bini comitant consanguinitate propinqui,
Matres, atque viri, pueri, castaeque puellae.
Ut venere domum, positas in limine scopas
Sponsa levat, scamnoque sedens nova lintea donat
Adstanti comitum turbae, dapibusque paratis
Socrus adesse jubet. Galli absumuntur, ovesque,
Servatique sues, et crebris vina culignis.
Incaluere animi, totumque evante cubiclum
Voce sonat: rudibus carmen profundere tentat

Quisque strophis, agilesque simul celebrare choreas.
Talia montanam recreant connubia pubem.
At vos, o vetuli, rapta queis conjuge lectum
Jam nimium friget, solitumque reflagitat ignem.
Ducite furtivi, primaque in nocte latentem
Excipite uxorem. Vario commota tumultu,
Si norit, vestros rumpet vicinia somnos,
Illudetque diu. Quot tintinnabula circum,
Vasaque ahena strepunt? Steriles ridentur amores
Nempe senum, nostris quod adhuc natura triumphat
Imperiosa jugis. Nec enim sponsalia lucrum,
Posthabita virtute, parat. nec moeret inerti
Prodita virgo toro, absentes nec lacte coempto
Nutrit filiolos exsiccans ubera mater.
Sic thalamis servatur honos, et pendula mammis
Pignora securos risu novere parentes;
Sic pudor, et pietas, et morum floret honestas.
Jam mihi testis erit, si vera est fama, virago
Herois celebranda modis. Pulcherrima visu,
Concordi modo nupta viro, ter amabile sexus
Prodigiumque loci, sola sub rupe tuetur
Ipsa suum Leonilda gregem, fideique maritae
Dulce canens decus, et speratae gaudia prolis
Mellifluo mulcet commotas carmine quercus.
Ecce autem externis miles praedator ab oris
Adstitit, atque ardens prece castum pectus, et auro,
Sollicitatque minis. Fugit illa repente, virumque

Voce vocans noto per densas tramite pinus
Antevolat. Caeco latro mage fervidus aestu,
Flagitioque furens, ceu milvius ungue columbam,
Insequitur, trepidamque manu jam jamque prehendit.
Ventum erat ad vallem vasto male perviam hiatu,
Et rigidis sentam dumis. Discrimine tanto
Heu! quid agat mulier? Necopinum praeripit hostem,
Impulsuque ferox saxo protrudit ab alto
Reptantem nequidquam, et saepius inclamantem.
It Leonilda domum, sponsumque intacta revisit,
Qui prope fontis aquam, tenui sat commoda coenae,
Intyba, olusque serit, detonsisque apta tigillis
Septa parat pastas noctu clausura juvencas.

His lactum curis, et fecundis hymenaeis
Ver abit, et suda praefulgens Sirius aethra
Maturat pratis surgentem pinguibus herbam,
Foenisecasque vocat. Robusti falce coloni
Extemplo densum, longo velut aggere, gramen
Innumeris sternunt sulcis, furcaque bicorni
Turba subinde frequens passim dispergit, et alte
Excutit ad solis radios bis terve remissum,
Donec inarescat, stipulisque rigentibus humor
Omnis eat: blandae replentur odoribus aurae.
At si qua surgit nubes, pluviamque minatur,
Aut perflat ventus, siccum densissima foenum
Rastra legunt, magnique solo tolluntur acervi.
Ni fiat, sublata Noto volat herba furenti,

Aut nimia vitiatur aqua, primumque saporem
Amittens neque lactis opes, nec velleris auget.
Hoc vitant cauti, plenoque ingentia culmo
Hibernum servant gregibus foenilia pastum.
Nec gravis iste labor; nam tonsis ludere pratis,
Et cursu certare juvat, eurisque solutos
Aut in faginea requiescere molliter umbra,
Aut cum vicinis lepidos componere coetus,
Colloquioque frui. Sacris gustata diebus (3)
Gaudia quid referam, cum maxima gentis eodem
Turba coit? Quicumque mero consumere noctes,
Obscenisque animos gaudes corrumpere probris,
Huc ades, et tuti solatia disce pudoris.
Vertice in alpino, spatiosi more theatri,
Planicies fecunda patet, gratissima vaccis (4)
Pascua. Diversi consurgunt undique montes,
Et nemora, et valles. Gelidi qua pigra Bootae
Plaustra vides, veneti propter confinia regni,
Fonticulus medicae fluit exiguissimus undae,
Utilis herpetas, rabiemque arcere nomarum.
Ergo ubi fervidior se se refrigerat aestas
Flamine montano, viciuis advena pagis
Multus adest aerem cupiens expellere tabem
Temperie caeli, potuque salubris aquai.
Praecipue cum jam decimae solemnia lucis
Nunciat Augustus (templum tibi avita sacravit,
Laurenti, pietas) ingens maturius agmen,

Virginei cum matre chori, sponsaeque, virique,
Quosque alit exiguo merx carbonaria victu,
Et quos cura boum, festivo adcurrere gressu,
Atque almum celebrare diem. Pars sidere ripae,
Laetaturque cavis palmis, atque haustibus oris
Combibere e puro vitalem flumine limpham.
Pars fraga, et calathis ursinam colligit uvam,
Aut nectit varias nativo flore corollas,
Exornatque sinum. Medio sol axe refulget,
Atque novum juvenes miro certamine cursum
Instituunt: affusa ruit circum undique turba
Exacuitque suos spe laudis quisque tribules.
Bis deni medio sistuntur in aequore aselli,
Sessoremque gerunt nudati terga, nec ullum
Mordentes frenum. Stans celsi in vertice saxi,
Rex veluti Thraecum, praescribit jura Menalcas,
Atque omnem cursus normam. Non gloria Circi
Magnificis quondam ludis, nec Olympia claros
Sic movere viros, ut nunc agrestia tangit
Pectora laudis amor, palmaeque immensa cupido.
Vix sua signa dedit judex, vix extulit album
Linteolum, et rubeam, victorum praemia, zonam,
Corripuere viam. Nodosi verbera fustis
Auritos stimulant recta properare, simulque
Insidians efferre caput. Victoria dudum
Pendet, et alternos mutat sors laeta triumphos.
Fallor, an Aegonem molli resupinat in herba

Succutiens quadrupes, atque alta voce salutat?
Haec eadem sequitur Tyrsim fortuna; sed Alcon,
Ut se deciduum submisso e vertice sensit,
Arripit auriculam pendens, saltuque recepit
Terga feri crebra nequidquam calce furentis.
Dum varios equitum casus plebs sibilat adstans
Ore cachinnanti, Corydon et pulcher Amyntas
Victores redeunt: huic blandis lintea verbis,
Huic porgunt zonam, turba plaudente, puellae,
Nigra oculos Aegle, Phyllis rubicunda capillos.
Ridet amor, geminoque irretit pectora nodo.
Discumbunt passim: tum vina recentia caupo,
Suppeditatque dapes; sunt saxa extantia mensae.
Tityrus urbani doctus spectacla popelli
Aediculam in medio locat, aulaeoque levato
Ligneolos utraque manu protendit homullos
Usque latens. Apto gens ludicra splendet amictu,
Et simul ore loqui, simul et gestire videtur
Brachiolis. Longi spectandus pondere nasi,
Atque agitans spathulam sociis illudere gaudet
Pulcinella suis. Misero dat multa Brighellae
Verbera Pantaleo, censuque superbus avito
Marchio formosae potitur cum dote Rosaurae.
Mirandae novitate rei, ceu vera fuisset,
Intentus tenet ora stupor, domibusque reversi
Omnia vicinis ex ordine gesta renarrant.
Quid prosunt, cives, malesanae pocula mensae

Lascivos inter cantus? Quid scena theatri,
Et vigiles noctes, et crassi damna vaporis?
Vivitur hic melius, sincerae ubi spiritus aurae,
Atque olera, et vitrei fontes, et lacteus humor
Urbanos pellunt morbos, incommoda luxus,
Triste voluptatis vitium. Medicamina nostris
Inscvit natura jugis. Hic Gentia radix,
Baccaque juniperi, stomachoque salubre cominum.
Succus et herbarum, stillatumque arbore gummi
Pharmaca suppeditant aegris, et corpora sanant.
Plura super dicenda forent, ni fructus adesset,
Quem bis quoque die tribuunt armenta. Sub ortum
Solis et occasum tumidas natura juvencas
Lac deferre jubet, palma quod utraque bubulcus
Exprimit in situlam, vastoque reponit aheno
Purgatum tela, et subjecto calfacit igne.
Lentis vix tepidum flammis, apteque remotum
Cum sale ventriculus jugulati lacteus agni
Stringit acore suo, totumque coagula corpus
Ocius indurant. Densas sed solvere partes
Est opus igne novo, et liquido secernere soldum.
Chimicus haud aliter mira solet arte professor
Legibus inversis praedura liquare metalla,
Et certis solidare modis mollissima rerum.
Ergo tepescenti baculus nodosus aheno
Concretum valde commiscet nectar, et usque
Circuit exagitans, reduci dum perfluat unda

Dulce serum, fundoque cohaereat omnis in imo
Caseus: extractam tum lignea capsula massam
Circumdat, teretemque simul conformat in orbem.
Nec satis: ingenti remanet quodcumque lebeti,
Conquoquitur rursum, niveamque exinde remittit
Materiam, lactis florem, ter suave palatis
Delicium: saturat pingues pars caetera porcos.
Forsitan et nitidi quae sit natura requiras
Butyri et ratio. Expressi pinguedine lactis
Crassa superficies paucas densatur in horas,
Quam collectam opifex, atque arcto in vase repostam
Immisso tundit ligno, et citus impete susque
Deque premit, donec durescit corpus et haeret
Nante sero, atque omnes recipit tractabile formas.

Dum fecunda ferunt tam caras ubera merces,
Et seges excultis jam maturescit in arvis,
Autumnus pluviam tinctus caligine frontem
Accedit, veteresque jubet pallescere fagos.
Tum grave sentit ovis lanoso corpus amictu,
Et poscit tonsoris opus. Sat idonea clauso
Area circuitu collectas mane bidentes
Forficibus tradit: nunc hanc, nunc accipit illam,
Atque genu cohibens pastor patientibus aufert
Exuvium, totidem quod mox glomeratur in orbes,
Grande lucrum dominis, et praemia justa laborum.
Sed jam montanis gramen rarescere pratis
Incipit, et distenta minus ferre ubera vaccae.

Pascua subjectos nova sunt quaerenda per agros,
Diversaeque domus. Hominum quae sensa, boumque,
Atque canum! Micat alma dies, et lignea circum
Raucisono situla absessum denunciat ictu.
Undique fervet opus: mulis, asinisque, caballisque
Exportantur opes, laetique armenta bubulci
Nomine quaeque vocant varias adeuntia terras.
Candidulis distincta notis, et corpore major
Quassans elato bos tintinnabula collo,
Praevia victrici veluti regina catervae,
Monstrat iter, comitesque gradu moderatur euntes.
Taurus adhaeret amans, paria et vestigia figit.
Interea clamore viri loca grata salutant,
Et prius effusis incensi pectora votis
Te, Deus, ore canunt, et Te, purissima Virgo.
Post, ubi tinnitusque procul, clangorque tubarum
Agmen adesse monet, celeri domus obvia gressu
Tota ruit: reduci gliscentia pignora patri,
Et conjux complexa suo dat mille marito
Oscula: gratatur salvis vicinia rebus.
At quo turbantur commota repente tumultu,
Corripiuntque armenta fugam? Procul ite bubulci,
Et debacchantem tauri vitate furorem.
Qualis adest! Spumant rictus, dant lumina flammas,
Vulneraque exerti minitant mortalia dentes.
Non cornu, non ille suis ferit horridus armis,
Persequiturque boves: morsu ruit ecce cruento.

Et dirum parat exitium. Fugere molossi,
Et miser ingenti pallet formidine custos.
At Catus, ut monstrum patefactam irrumpere in aedem,
Extremoque suos videt in discrimine natos,
Advolat, atque acto media inter cornua ligno
Stravit humi, certaque excepit morte juvencum.
Cogitur extemplo patrius de more Senatus,
Et jubet in silva tumulari corpus opaca,
Occidique boves, morsus quascumque notaret
Letifer. Huic nuper, peteret cum pascua, tauro
Heu! rabiosa canis labium primore momordit,
Omnemque infecit diffusa tabe cruorem,
Unde venenatos prurigo maxima dentes
Incitat, horrendique serit contagia morbi
Haud ullo sananda modo. Jam quinque profundis
Conduntur foveis, praestantia corpora, vaccae,
Et vitula ah! tenerae nimium dilecta Petrillae,
Quae foliis olerum, mollique legumine pastam
Nunc pectit blande, sertisque coronat odoris,
Nunc per prata comes, puramque reducit ad undam.
Illa suae respondet herae, colloque reflexo
Lusitat obluctans, et grata dat oscula dextrae.
Tum quoque, cum largus jugulo cruor iret aperto,
Ingemit, et flentem moriens respectat amicam.
Exoriare aliquis, medica qui providus arte
Infandam valeas tandem pervincere pestem,
Cum lex nulla canes noctuque diuque vagantes

Constringat, rabiemque vetet diffundere morsu.
Hoc correpta malo non dulci sponsa marito,
Non mater parcit natis: quin saepe resaevit
Ipsa sibi, atque suos discerpit dentibus artus.
Vergiliae tam dira vident spectacla, Leoque;
At cum brumali regnat Capricornus in aethra,
Non sitis, aut frustrata venus, causaeque latentes
Inflammant canibus venas, rabiemque lacessunt.
Montibus eductas postquam praesepe juvencas
Collecto pascit foeno, juga celsa relinquunt
Ipsae etiam pecudes, et in imis pascua terris
Commodiora petunt. Sequitur congesta supellex,
Infantesque, senesque: Getas errare putares,
Campestresque Scythas. Partim natale moratur
Usque solum, et notas paupertas cogit ad artes.
En patet inclusa vastum fornace cubiclum,
Femineosque capit coetus. Hae pilea longis
Intexunt paleis, hae nent, et fila revolvunt,
Hibernasque suunt vestes. Fremit undique murmur,
Undique garrulitas, alienae injuria famae.
Tum rugis spectanda Agnes, hirtoque capillo,
Quae casus crepat usque novos portentaque rerum,
In medio sedet, et formis horrentibus Orcum,
Spectraque visa refert, et manes nocte locutos,
Emunctoque sagas infantum sanguine pastas,
Tartareasque volare feras. Narrantis ab ore
Attoniti pendent pueri, tremefactaque pulsat

Corda pavor, quem longa nequit delere vetustas.
Ast aetas robusta virum patiensque laborum
Nunc caesum vectat nemus, et quodcumque necesse est,
Undique comportat tectis, nunc lignea vasa,
Et varia struit arte cados. Nec gaudia desunt,
Atque hiemis ludi. Nam festis saepe diebus
Absque rotis cisio, cymbae volitantis ad instar, (5)
Invecti certant declivi tramite labi
Concretis nivibus. Longo stans ordine vulgus
Plaudit utrimque: favor studia in contraria scindit.
Non secus euganeas magno vis impete bigas
Propositum rapit in spatium, aurigasque volantes
Ingens extimulat populi circum undique clamor.
Interdum cura est laqueo captare volucres,
Et lepores canibus, tacitosque inquirere meles,
Aut foveis, certisque armis extinxe ferarum
Pernicialc genus. Nam dormitantibus ursis
Circumeunt vulpes, habitataque saepe vagari
Crudeles prope tecta lupos jejunia cogunt.
Flete piae matres, teneri lugete puelli,
Et diram lacrymate necem. Jam conscia facti
Nunc quoque silva dolet, moerentique adgemit umbrae.
Scilicet alpini subter declivia dorsi,
Unus amor thalami, parva dum pupulus aede
Lusitat, et carae festinat ad oscula matris,
(Eloquar an sileam?) nemora inter opaca rapacis
Fertur ab ore lupi. nec vox audita parenti est.

Non illam niviumque rigor, noctisque tenebrae
Impediere: volat loca per latebrosa, suumque
Cunctis filiolum circumvaga quaerit in antris
Ore ciens gemitus, et luctisonos ululatus.
Si qua fera, aut volucris queritur, si sibilat aer,
Aut procul ipsa suae referitur imagine vocis,
Heu! rata semianimum lacero jam corpore pupum
Inclamatque amens, cursuque irrumpit anhelo.
Ast ubi foedatas conspexit sanguine vestes,
Semesumque caput, ceu fulmine tacta repenti,
Concidit exanimis, natumque recepit in aethra.
Mane novo miserata gravem vicinia casum
Reliquias pueri, corpusque exangue parentis
Imponit feretro: stat eodem condere busto,
Unius et ritu pompae. Convenerat ingens
Agmen ad exequias, atrique coloris amictum,
Palliolumque gerit. Sonat undique flebile vallis,
Flebile silva gemit, respondent flebile rupes.
Jamque sacerdotes longo funebria cantu
Praecepere: alii gressuque et voce sequuntur,
Inque manu tremulo collucent lumine cerae.
At consanguinei, quos acrior occupat angor,
Femina praesertim, ferientes pectora pugnis,
Abscissique comas funus miserabile certant
Sectari propius, caelumque ululatibus implent
Insolabiliter. Quae tum praeconia vitae!
Quo defunctorum virtus celebratur honore!

Nec cessant lamenta prius, laudesque, precesque,
Corpora quam tumulo jaceant, solitoque paratae
More dapes saevum per mutua verba dolorem,
Tristitiamque levent: moerentes vesper amicos
Dividit. Extinctis suprema exsolvere jura
Cognatis, et grata pii dare pignora cordis
Ipsa jubet natura nimis violata per urbes,
Nobiliumque domos. Potuisti, nate, parentem
Deseruisse, oculo qui te moriente requirit
Affari cupidus? Quid vana insignia luctus
Ostentare audes, patriae jam nescius urnae?
O utinam tales fugiat mea natio mores,
Nec Parisiacae sectetur probra Megerae,
Quae serpens italas nimium funesta per oras
Sacrilegis ardet flammis, caecumque tumultum
Usque ciens viru totum contaminat orbem.
It comes impietas, temerarius error, et exlex
Ambitio, bellique furor, stragesque, nefasque
Agmen tartareum. Quae vos insana libido,
Monticolae, externos cogit perquirere cultus,
Doctrinasque novas? Quae luxus causa recentis?
Curve agitant dubias damnata sophismata mentes?
Hei mihi! ni pietas maneat, vitaeque prioris
Simplicitas, nostris quanta infortunia pagis
Impendent! Video juvenes cervice superba
Oblitos inopumque genus, censusque parentum
Veste peregrina, longaque incedere barba,

Et natale solum mentiri, et fingere vocem.
Illatum thalamis video indignantibus ingens
Dedecus, et dubiae cessantem prolis amorem,
Discordesque domos. Pecori tum cura, satisque
Defieri; vacuis tum spreta gemiscere templis
Religio, justique Deus dare signa furoris.
Principio crebris saevit praepostera nimbis
Tempestas, nivibusque et grandine perfurit annus.
Arvis jam desunt segetes, et pascua pratis,
Corporibusque salus. Strumas, jecorisque putrorem
Languida signat ovis: tumidae foeda ulcera linguae,
Tabificaeque pedum plagae infecere juvencas:
Ubera lacte carent, et languens deperit agnus,
Ac tristem miseris intentant omnia sortem.
Haec ego dum verax nimium praenuncio vates,
Et mala degeneres doceo ventura nepotes,
Macti animis estote, et avitae laudis avari,
Monticolae, et vestram virtute incendite pubem.

Haec Viscontiadum gens imperterrita quondam,
Scaligeraeque domus magnos experta favores
Finitimi toties incursum repulit hostis,
Et propria meruit, jam vectigalibus expers, (6)
Libertate frui. Veneto quoque grata Leoni
Sanguinis imbre sui certum signavit amorem,
Invictamque fidem. Quis formidabile belli
Nescit Cambraici foedus, regumque furorem,
Cum conjuratae venetum fregisse tridentem

Undique congruerunt peditumque, equitumque catervae?
Ite procul miseri, caecisque abscondite in antris,
Quod rerum cuique est. Vestros invadere montes,
Et simul adriacas hac stat prorumpere in urbes.
Quid loquor? Armati coeunt, patriamque tueri, (7)
Aut pulcra unanimes jurant occumbere morte.
Femina, ceu quondam Mario metuenda, virorum
Instigat rabiem, tumidumque hortatur in hostem
Instruere insidias. Locus est in valle recurva,
Pervius ingressu, dein parte recinctus ab omni,
Vasti instar putei, pendentibus undique circum
In praeceps scopulis. Pauci balatibus agni,
Mugituque boves, simul et conspecta supellex
Turmatim ad praedam traxere audacius agmen
In medio positam; cum saxa repente fragore
Horribili revoluta ruunt, sternuntque, premuntque,
Contumulantque hostes. Victori laeta Leoni
Fama refert facinus Cimbrorum, et magnanimum cor.
Nunc aquilae Austriacis haec natio tuta sub alis
Imperium, Josephe, tuum, legesque recentes
Devoto colit obsequio, caelumque precatur,
Ut tibi per cunctos sceptrum felicitet annos
Incolumi, et fidas pax prosperet aurea gentes.
Te rerum domino, Te vindice juris et aequi
Nos quoque jam melior vultu fortuna benigno
Respiciet, patrios nec vectigalia fructus,
Quondam ignota, prement. Labor, atque industria crescet

His freta auspiciis, nec saeva vetabit egestas
Artibus ingenuis docilem indulgere juventam.
Non omnes pascunt armenta, aut paupere gleba
Vitam infelicem exagitant. Quandoque sereni
Hic etiam fulsere dies, mutataque lucrum
Importat merces, nec honestus praemia cultus
Fertilibus negat ingeniis. Quot jactat alumnos
Inclyta Gregorii sedes, pulcrisque palaestrae
Florentes studiis! Quam multos templa ministros
Certatim ostentant! Nec vos mea musa silebit,
Illustres animae, vario radiantia caelo
Sidera. Conspicuis seu vos sedisse cathedris,
Et juvat omnigenum doctrinae effundere semen,
Seu moestis prodesse reis, et jura tueri
Publica, seu diros membris expellere morbos,
Artificesque adhibere manus, jam laeta renidet
Patria laude nova, et veteres ingentibus ornat
Nominibus fastos. Nam priscum grandibus aevum
Praenitet exemplis, nec nostris copia rerum
Defuit historicis. En multis cognita bellis
Emicat Antoni virtus (8), quem Sequana, et Ister
Victorem stupuit toties et Ibericus amnis,
Austriacique duces. Salve domus integra morum, (9)
Nobilium fecunda virum: jam templa resurgunt
Debita, caelicolae jam dantur thura Joannae.
Vos quoque Scajari seros transmittit in annos (10)
Mirus apelleae labor, et solertia dextrae,

Quos faustis alii auspiciis sectarier ausi (11)
Seu coluere tuam, Hippocrate, felicius artem,
Sive tuam, Archyta, aut vario caelamine claras (12)
Ornavere domos. Faciles quot carmina vates
Multigenis recinunt plectris! Ut veste latina (13)
Pindarus exultat novus, et Fringuilla superbit
Ostentans pulcrum genus, et modulamina vocis!
Dum merito artifices, et erunt in honore poetae,
Dum vera in pretio virtus, magis usque vigebunt
Nomina magna virum, et septeni gloria pagi.

Nec populi testata fidem, Superumque favorem
In variis monumenta locis obliteret aevum.
Aspicis in medio quod surgat tramite signum?
Quae cautis pateat labes? Hic claruit olim
Ingens Gregorii pietas. In vertice rupis
Vicus erat, longis male structa mapalia lignis,
Pastorum nidus. Comitum subeunte caterva
Huc quoque divini laturus pabula verbi
Heros magnanimo loca tendit in ardua gressu;
Cum vasta e scopulo moles superimpendenti
Heu! perterricrepa divulsa repente ruina
Praecipitat late, cunctisque minantur acerbam
Saxa rotata necem. Tanto exhorrere periclo
Attoniti, et nullam socii sperare salutem.
At non Gregorius: caelo pia lumina tollens,
Atque Deo plenus cruce saxa volantia signat.
Et divisa jubet longo transcurrere tractu

Hinc atque hinc, mediaeque viam praebere phalangi
Incolumem. Laeto rupes clamore resultant,
Magnaque adoratae resonant miracula dextrae.
Crux servat praecelsa locum, gratique nepotes
Annua vota ferunt. Alia quoque parte sacellum
Semiusta extructum silva, Mariaeque dicatum
Non procul a pago est. Dudum torrentibus auris,
Sole sub ardenti, saevit sine nubibus aestas
Exuritque solum. Fruges moriuntur et herbae,
Arbuteaeque comae. Siccos animalia fontes
Fauce inhiante petunt, deceptaque saepe pererrant
Umbrosas nemorum latebras, vallesque profundas
Visa queri balatu, et flexanimo mugitu.
Nec satis: attritu ramorum, aut fraude scelesta
Corripiunt vastam nocturna incendia silvam,
Horrificantque animos subita formidine. Magnus
Exoritur clamor, concussaque turribus aera
Exitiale sonant. Sacram concursus ad aedem
Quantus adest! Caelum quot vota, precesque fatigant!
Haud mora: nudatis populum procedere plantis
Saxosum per iter, loca per dumosa tueris
Suppliciter Numen lacrymis, pagique patronos
Orantem Divos. Niveo candore puellae,
Dulce ministerium, simulacrum Virginis almae
Ter bino subeunt humero, sanctamque Mariam
Ore animoque canunt. Jam primi spicula solis
Ardentem minitata diem, ventique sereni

Valdius urebant montes, flammasque juvabant.
Cum subito nigrans, dictu mirabile, nimbus
Accenso impendet nemori, tonitruque secundo
Erupit gravidis immensus nubibus imber,
Vi donec violentis aquae, caelique favore
Destitit ignis edax, tantique pericula damni.
Extemplo meritas solvit vicinia grates,
Et solemne locat tanto pro munere votum.
Nempe pii assuerunt delubra attollere patres
Servatam ob vitam saevae in discrimine sortis,
Cum nimium ausonias pestis bacchata per oras (14)
Hos meteret populos, aut horrida turbinis ira (15)
Evulsas raperet silvas, ac tecta domorum.
Sed cur prisca loquor, si praesens laudibus aetas
Claret jure suis, et facta illustria jactat?
Cernis in Eniceis quae surgat collibus aedes,
Eximium pietatis opus, mirabile cunctis
Prodigium saeclis? Non hanc opulentia regum,
Publicus aut sumptus, vel jussa pecunia struxit;
Pauperis at populi stips, atque accepta viritim
Munia, partitusque labor. Carissime salve
Pastorum, Stephane (16), exemplar. Non aurea tantum
Scripta tibi parient nomen, spectataque morum
Integritas, patrium quam te duce, et auspice templum.
Nec minor Axiacae generoso in pectore gentis
Fervet Religio, quae septem foedere quondam
Pagorum princeps ingentem ad sidera turrim

Arte laboratis potuit sustollere saxis,
Et nunc magnanimos ausa exsuperare parentes
Tecta domus sacrae miro surgentia luxu
Molitur, lectisque parat decorare columnis,
Marmoreisque aris. Nec jam desideret hospes
Insculptam Costae effigiem, pictosque merentum
Artificum vultus. Utinam via facta quadrigis
Hos sinat incolumi vicos pervisere cursu,
Et patriis errare jugis! Modo vita supersit,
Tunc ego tam caro rursum comitatus amico
Versos in melius mores, monumentaque cernam,
Et majore canam septenos carmine pagos.

ADNOTATIONES

(1) Giovanelli. Considerazioni ec. Trento 1826.

(2) Dies Ascensionis.

(3) Vulgo *Le Sagre.*

(4) Marcesina.

(5) Vulgo *La Slitta.*

(6) Vide Privilegia Septem-Communium.

(7) Consule historicos Guicciardini et Caldogno.

(8) *Antonius Dall'Oglio*, qui Alemannorum ductor pluries in Europa triumphavit, et in Hungaria an. 1591 ab Archiduce Austriae a consiliis militaribus electus fuit, cujus virtutem aemulati filii, et nepotes excelluerunt, ut patet ex historicis Barbarano et Caldogno.

(9) Ex honesta *Bonomo* familia multi extiterunt scientiis, artibus, et muneribus clari, ut narrant Lombardi, Calvi, et Vivaro.

(10) Antonium, tresque hujus filios inter claros pictores recensent Verci, Ridolfi, Faccioli, aliique. Excelluerunt etiam Christophorus, et Christianus *Menarola.*

(11) In Archigymnasio Pat. *Joannes Dalla Bona* publice docuit Medicinam, et *Jo. Dominicus Paccanaro* Physicam. Claruerunt etiam *Jo. Giannesini*, et *Barth.* ac *Jo. Andreas Pertele* Mathematici, et Architecti.

(12) ***Dominicus Plebs*** multis in locis, sed praecipue Vindebonae apud viros principes claruit.

(13) Innuimus varios carminum auctores, sed praecipue ***Jo. Costa***, et ***Jo. Fabris***.

(14) An. 1500 et 1636.

(15) An. 1756.

(16) ***Stephanus Caregnato*** optimus Enici Archipresbyter, et vir sane eruditus.